

DE ERRORE CIRCA MATRIMONII UNITATEM, INDISSOLUBILITATEM ET SACRAMENTALEM DIGNITATEM*

1. *Praescriptum legis in constanti Ecclesiae modo sese gerendi radicatum*

a. Unitas et indissolubilitas — de quibus in c. 1056 CIC et in c. 776, §3 CCEO — proprietates sunt essentielles cuiuscumque matrimonii et non solummodo matrimonii christianorum vel inter catholicos contracti.

Extra Ecclesiam catholicam, tamen, fere omnes, non christiani et christiani, legitimitatem agnoscunt divortii, seu fere omnes circa indissolubilitatem matrimonii errant. Et haec est condicio plurimorum saeculorum; condicio quae — maiore vel minore cum intensitate — per totum tempus perdurat duorum milium annorum magisterii Ecclesiae de matrimonii indissolubilitate.

Plures, insuper, errant circa matrimonii unitatem.

Nihilominus, tamen, Ecclesia numquam nulla considerabat matrimonia huiusmodi ob errorem.

* Relatio in civitate Pragensi (Bohemia) die 29 augusti 1994 in lingua latina habita.

Eadem relatio in italico sermone lecta est in «*Incontro di studio per gli operatori dei tribunali*», qui die 17 martii 1994 Romae locum habuit, atque eodem in sermone publici iuris facta est in AA.Vv., *Error determinans voluntatem (can. 1099)* ("Studi Giuridici", vol. 35), Città del Vaticano 1995, 7-21.

b. Can. 1055, §§1-2 CIC et c. 776, §2 CCEO doctrinam exprimunt Ecclesiae affirmantes ex Christi institutione inter baptizatos validum matrimonium consistere non posse, quin sit eo ipso sacramentum.

Extra Ecclesiam catholicam, tamen, magna christianorum pars sacramentalitatem matrimonii haud agnoscit, seu circa huiusmodi indolem salvificam matrimonii inter baptizatos errat.

Hoc non obstante, Ecclesia numquam nulla iudicabat matrimonia illorum christianorum qui propriam unionem non considerant uti sacramentalem¹.

c. Quapropter, praescriptum c. 1099 CIC — cui eadem respondet formulatio c. 822 CCEO —, iuxta quod «error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, dummodo non determinet voluntatem, non vitiat consensum matrimonialem», fortiter in constanti modo sese gerendi Ecclesiae radicatur.

d. Ceterum, si nulla considerari deberent — ob erratas persuasiones circa unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem — fere omnia matrimonia extra Ecclesiam catholicam contracta, id esset revera crudele et omnem sanam conscientiam offenderet, prae oculis habito matrimonium ex voluntate divina institutum esse communissimum, practice destinatum omnibus, et insuper maximi momenti socialis.

2. *Quaestio etiam catholicos respicit*

Error tamen de quo sermo minime ad eos qui

¹ Cf. etiam IOANNES PAULUS II, Adhortatio Ap. *Familiaris consortio*, diei 22 novembris 1981, in AAS 74 (1982) 81-191, n. 68, alinea 6.

extra Ecclesiam catholicam inveniuntur circumscribitur, sed saepissime proprius est etiam eorum qui se catholicos profitentur².

Immo, error praesertim circa matrimonii indissolubilitatem — et id amare dico — vel in sinu Ecclesiae catholicae ab aliquibus fovetur:

— Vaga circa indissolubilitatem matrimonii instructione, in qua insinuat Ecclesiam, nullitatem declarans, practice dissolvere matrimonium existens. Ne casus quidem deficiunt expressae declarationis (in aliquo colloquio, quaerendi causa facto, vulgo «intervista») ex parte alicuius Vicarii iudicialis, asserentis sententiam affirmativam tribunalis ecclesiastici haud significare matrimonium numquam exstitisse³. Huiusmodi modum rem intelligendi insinuat etiam usu, sat communi in aliquibus centris canonistarum, vocis «annulment» (in lingua anglica), «annullamento» (italice), «unieważnienie» (in lingua polonorum), «zrušéní» (in lingua bohema), «zrušenie» (in lingua slovača), ad indicandam declarationem nullitatis matrimonii (notare sufficit commentarium de capitibus nullitatis matrimonii, diffuse divulgatum in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis et publici iuris factum cura Consociationis Canonistarum illius Nationis, qui varias iam habuit editiones, sane intitolari

² Cf. v. gr. A. STANKIEWICZ, *De errore voluntatem determinante (can. 1099) iuxta rotalem iurisprudentiam*, in *Periodica* 79 (1990) 451-455.

³ Cf. Z. GROCHOLEWSKI, *Cause matrimoniali e «modus agendi» dei tribunali*, in *Ius in vita et in missione Ecclesiae* (Acta Symposii Internationalis Iuris Canonici occurrente X Anniversario promulgationis Codicis Iuris Canonici diebus 19-25 aprilis 1993 in Civitate Vaticana celebrati), Città del Vaticano 1994, 956-957, nt. 27; idem in *Ephemerides Iuris Canonici* 49 (1993) 142, nt. 27.

«Annulments»⁴). Huiusmodi vox autem technice et iuxta communem modum loquendi nihil aliud significat nisi rescindere seu nullum facere id quod prius validum fuit.

— Facilitate quacum in aliquibus Ecclesiis localibus obtineri potest declaratio nullitatis matrimonii, numero valde elevato huiusmodi declarationum, consideratione declarationis nullitatis matrimonii uti solutionis principalis problematis matrimoniorum disruptorum et eorum christifidelium qui post divortium civile novum attentaverunt matrimonium⁵. Quae omnia, una ex parte parum credibilem faciunt doctrinam Ecclesiae de matrimonii indissolubilitate⁶, et altera ex

⁴ L.G. WRENN, *Annulments*, Washington 1970¹, 1972², 1978³, 1983⁴, 1988⁵.

⁵ Cf. ad rem v. gr. Z. GROCHOLEWSKI, *Alcune questioni attuali concernenti lo stato e l'attività dei tribunali, con particolare riferimento alla situazione negli USA*, in *Monitor Ecclesiasticus* 114 (1989) 348-352; idem in lingua anglica *Current Questions Concerning the State and Activity of Tribunals, with Particular Reference to the United States of America*, in AA.VV., *Incapacity for Marriage. Jurisprudence and Interpretation* (Acts of the III Gregorian Colloquium), curante R. M. Sable, Pontificia Universitas Gregoriana, Rome 1987; IDEM, *Processi di nullità matrimoniale nella realtà odierna*, in AA.VV., *Il processo matrimoniale canonico*, Città del Vaticano 1994², pp. 11-17; vide etiam IDEM, *Cause...* (cf. nt. 3), 953-959 (in *Ephemerides Iuris Canonici* 49, 1993, 138-145).

⁶ Cf. Z. GROCHOLEWSKI, *Alcune...* (cf. nt. 5), 351-352 una cum nota 18; in edizione anglica, pp. 226-227 una cum nt. 19.

In *Allocutione ad Rotam Romanam*, diei 5 februarii 1987, Joannes Paulus II loquitur de «[lo] scandalo di vedere in pratica distrutto il valore del matrimonio cristiano dal moltiplicarsi esagerato e quasi automatico delle dichiarazioni di nullità, in caso di fallimento del matrimonio, sotto il pretesto di una qualche immaturità o debolezza psichica dei contraenti» (AAS 79, 1981, 1458, n. 9).

parte periculum creant — in aliqua epistula Consilii pro Publicis Ecclesiae Negotiis anni 1973 notatum⁷ — viam reapse sternendi divortio, etsi alio nomine tecto.

3. *Collatio cum legislatione praecedenti*

In comparatione cum legislatione praecedenti — seu cum c. 1084 CIC/17, ad Ecclesiam latinam quod attinet, et cum c. 75 M.P. *Crebrae allatae*⁸, Ecclesias orientales quod spectat (qui canones iidem sunt) — in c. 1099 CIC et in relativo c. 822 CCEO (qui duo canones non differunt) tres patent differentiae: a) in praecedenti legislatione sermo erat de «simplici errore», nunc solummodo de «errore» loquitur (absque adiectivo «simplex»); b) in praecedenti legislatione affirmabatur huiusmodi errorem non vitare consensum matrimonialem «etsi det causam contractui»,

Die 6 ianuarii 1994, in aliquo colloquio televisivo in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis — ubi unoquoque anno fere 40.000 matrimonia declarantur nulla apud tribunalia ecclesiastica, et ubi circa 95% eorum qui recurrunt ad eadem tribunalia declarationem nullitatis matrimonii («Annulment») obtinent — instanter ponebatur quaestio: Nonne habetur periculum quominus Ecclesia, de matrimonii indissolubilitate loquens, hypocrita appareat? (*ABC News Primetime Live*, American Broadcasting Companies, Transcript 331, January 6, 1994, apud Signaturam Apostolicam, prot n. 24.813/94 VT). Etiam mihi videtur in casu de hypocrisi agi.

⁷ «Non latet... quamdam inesse dynamicam impulsionem remissioni legis in re matrimoniali, cui si mos geratur, divortio, alio nomine tecto, in Ecclesia tolerando via sternitur» (Epistula ad Conferentiam Episcopalem Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis, diei 20 iunii 1973, in I. GORDON-Z. GROCHOLEWSKI, *Documenta recentiora circa rem matrimonialem et processualem*, vol. I, Romae 1977, 253, n. 1434). Cf. etiam nt. praecedentem, praesertim alineae 2 et 3.

⁸ AAS 41 (1949) 89-119.

quod incisum supprimitur in Codicibus vigentibus; c) in loco eiusdem incisi aliud invenitur, nempe «dummodo non determinet voluntatem».

En uterque textus, unus iuxta alterum:

CIC/17, c. 1084

“Crebrae allatae”, c. 75

Simplex error

circa matrimonii unitatem

vel indissolubilitatem

aut sacramentalem dignitatem,

etsi det causam contractui,

non vitiat consentum matrimoniale.

CIC, c. 1099

CCEO, c. 822

Error

circa matrimonii unitatem

vel indissolubilitatem

aut sacramentalem dignitatem,

dummodo non determinet voluntatem,

non vitiat consensum matrimoniale.

Primae duae ex indicatis mutationibus — uti egregie explicat U. Navarrete in suo recenti studio⁹ — nihil in dispositione legis mutant. Adiectivum, enim, «simplex» significabat agi de errore qui utpote talis non impedit quominus voluntas verum matrimonium velle possit, seu qui voluntatem non determinat: at etiam absque hoc adiectivo id in nova legislatione omnino clarum manet. Incisum autem «etsi det causam contractui» — satis confusum quatenus reapse non exprimebat id quod verba suggerere videbantur — significabat errorem momentum non habere etsi: a) contrahens ita animo dispositus sit ut non contraheret si errore detentus non esset, seu si veritatem cognosceret, aut b) ipse ideo contraxerit quia in errore erat (quia putabat verum esse id circa quod erravit): haec tamen nihil novi canonis addebant iuxta eius communem interpretationem.

⁹ U. NAVARRETE, *De sensu clausulae «dummodo non determinet voluntatem» can. 1099*, in *Periodica* 81 (1992) 471-479.

Ad tertiam mutationem quod attinet, seu ad incisum additum «dummodo non determinet voluntatem» — quod maxime interest in nova legislatione in materia — etiam id nihil novi quoad substantiam addere videtur. Re quidem vera, quaecumque impositio systematica errori qui *determinat voluntatem* tribuatur (seu utrum idem error simpliciter utpote exclusio consideretur, vel uti exclusio implicita, aut uti caput nullitatis matrimonii autonomum), censeo ad habendam huiusmodi facti speciem praescindere non posse a necessitate actus positivi voluntatis qui obiectum consensus ita determinat ut ex eo eiciatur — explicite vel implicite — unitas vel indissolubilitas aut sacramentalis matrimonii dignitas. At tali in casu, seu probato huiusmodi actu positivo voluntatis, absque ullo dubio etiam vigente legislatione praecedenti matrimonium declarandum erat nullum.

4. *Potestne aliquod obiectum esse volitum etsi non sit cognitum?*

a. Curnam praedictus error uti talis momentum non habet, non obstante quod reapse respicit proprietatem essentialem cuiuscumque matrimonii (unitatem vel indissolubilitatem) aut ulteriorem proprietatem essentialem matrimonii inter baptizatos (sacramentalitatem)¹⁰, seu non obstante quod elementa respicit absque quibus verum matrimonium subsistere non potest?

Proponendo tale quaesitum, saepe citatur ada-

¹⁰ De sacramentalitate uti proprietate essentiali matrimonii inter baptizatos, cf. Z. GROCHOLEWSKI, *Crisis doctrinae et iurisprudentiae rotalis circa exclusionem dignitatis sacramentalis in contractu matrimoniali*, in *Periodica* 67 (1978) 289-290.

gium philosophiae scholasticae «nihil volitum quin praecognitum». Potestne matrimonium indissolubile velle qui nescit id esse indissolubile? qui in indissolubilitatem non credit? Is vere non vult positive et directe matrimonium indissolubile. Idem peti potest ad unitatem quod attinet. Acutior adhuc apparet hoc quaesitum si ad matrimonii sacramentalitatem referatur. Potestne matrimonium sacramentale velle, et exinde huiusmodi matrimonium contrahere, qui nescit id esse sacramentum? qui non credit in matrimonii sacramentalitatem? qui, contrahendo matrimonium, non vult positive et directe aliquod sacramentum? pro quo sacramentalitas nullum habet momentum?

Aliis verbis: potestne aliquod obiectum reapse esse volitum, etsi non sit praecognitum?

Censeo eandem philosophiam scholasticam, ex qua provenit adagium «nihil volitum quin praecognitum», responsionem nobis dare distinguendo inter «volitum in se» et «volitum in alio».

Ut aliqua res esse possit «volita in se» necessario debet esse cognita quoad eius identitatem (identificationem). Hic enim plene valet principium «nihil volitum quin praecognitum».

Aliter tamen quando de re «volita in alio» agitur. «Volitum in alio» id dicitur quod cum «volito in se» inseparabiliter iungitur. Ad huiusmodi elementa inseparabiliter cum obiecto «volito in se» iuncta quod attinet, non est necessarium ut sint praecognita, nec ipsa nec eorum cum «volito in se» inseparabilis connexio.

«Sicut in ordine essendi ob hunc inseparabilem nexum id quod est “volitum in se” non potest esse sine “volito in alio” ... ita etiam in ordine volendi id quod est volitum in se tale quale est, serio appeti non

potest, quin simul aliud, quod est inseparabiliter iunctum, hac appetitione [saltem implicite] comprehendatur, non necessario ut con-cognitum, sed ut con-volitum, etsi non-cognitum»¹¹.

Non solummodo quando actus iuridicos ponimus, sed immo etiam quando aliquam rem acquirimus, quoties veram eiusdem rei naturam ignoramus, nihilo minus nemo dicere audet nos hanc rem non velle. In taberna refectoria — propter aliquam rationem — velle possum ferculum typicum seu peculiare regionis (vel tabernae), etsi nescio quid sit hoc ferculum. Cum ferculum typicum peto — seu voce «ferculum typicum» designo (identifico) obiectum volitum (id est rem quam volo ut mihi feratur) — evidenter reapse omnia elementa essentialia huius fercoli volo, etsi ea mihi nota non sint.

Qui serio vult matrimonium, logice ea omnia vult quae obiective cum matrimonio inseparabiliter iunguntur (unitatem, indissolubilitatem, et, si de baptizatis agitur, etiam sacramentalitatem), etsi haec eidem non sint nota vel ipse circa ea in errore versetur. Quando, e contrario, qui se matrimonium velle asserit insimul positive (positivo voluntatis actu) ita determinat obiectum volitum ut ex eo expungatur (explicite vel implicite) aliquod elementum essenziale (elementum inseparabiliter cum matrimonio iunctum), solummodo tunc concludendum est obiectum volitum non esse matrimonium, seu contrahentem nolle matrimonium (etsi ipse putet id matrimonium esse).

¹¹ F. HÜRTH, *Defectus consensus in matrimoniis acatholicorum*, in *Periodica* 37 (1948) 212-213, sed vide 212-215. Cf. anche Z. GROCHOLEWSKI, *De «communione vitae» in novo Schemate «de matrimonio» et de momento iuridico amoris coniugal*, in *Periodica* 68 (1979) 466-468; IDEM, *Crisis...* (cf. nt. 10), 287-288.

b. Ut quis contrahere valeat matrimonium, necesse est ut eidem notum sit id quod in doctrina uti *substantia* consideratur, indicata in c. 1096, §1 CIC et in c. 819 CCEO, seu ut non ignoret «matrimonium esse consortium permanens inter virum et mulierem ordinatum ad prolem, cooperatione aliqua sexuali, procreandam» (differentia in formulatione utriusque Codicis in re solummodo est verbalis, non vero substantialis), non est autem necessarium ut cognoscat, et eo vel minus ut positive et conscie intendat, proprietates essentielles seu id quod inseparabiliter cum praedicta matrimonii substantia iungitur¹².

Non mihi videtur tamen ad volendam aliquam rem necessarium esse cognoscere eius substantiam; meo iudicio sufficit aliquo modo determinare identitatem (individuare) hanc rem. Ita — et hic redeo ad exemplum supra propositum — fercula typica gustare volens, possum aliquod huiusmodi ferculum vere velle, etsi nescio (et mea non interest), quando id peto, in quo consistat. Similiter — ob rationes rivalitatis vel ambitionis — aliquis velle potest easdem honorificentias quas habet Caius, etsi ignoret quales exacte hic habeat. Determinando aliquo modo obiectum volitum (non necessario per cognitionem eius substantiae), vere volo, etsi solummodo implicite, substantiam et alia elementa essentialia (inseparabiliter iuncta).

Haec animadversio evidenter non est obiectio critica contra citatos canones (cc. 1096, §1 et 1099 CIC necnon 819 et 822 CCEO). Considerato enim momento matrimonii, nihil mirum apparet ad eisdem validitatem requiri, ex parte sponsorum, cognitionem eius substantiae.

¹² Cf. U. NAVARRETE, *De sensu...* (cf. nt. 9), 479-482.

5. *Varii erroris gradus*

a. Ad vim erroris — circa unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem — quod attinet, in ordine ad matrimonium efficiendum invalidum, praeliminariter animadvertere velim matrimonium numquam haberi posse nullum ob errorem qualem, sed solummodo ob depravatam voluntatem (depravatum consensum qui est actus voluntatis), seu ob positivam obiecti consensus coniugalis determinationem quae cum errore congruat.

b. Uti ante quattuordecim annos exposui¹³ — et adhuc hodie maxima ex parte quaestionem video — in iurisprudentia Rotae Romanae tres perspicui possunt gradus erroris circa matrimonii proprietates essentielles, ad possibilem influxum erroris in campum voluntatis quod attinet. Unusquisque ex his gradibus diversa distingui potest intensitate, ita ut in casibus concretis non semper facile est dignoscere de quo gradu agatur. Distinctio tamen eorundem graduum iuvat ad recte intelligendam relationem inter ideas erroneas et exclusionem elementi essentialis vel determinationem obiecti consensus iuxta easdem ideas.

¹³ Z. GROCHOLEWSKI, *Relatio inter errorem et positivam indissolubilitatis exclusionem in nuptiis contrahendis*, in *Periodica* 69 (1980) 569-601; brevius: *L'atto positivo di volontà come causa di nullità del matrimonio secondo il can. 1101, par. 2 del nuovo Codice*, in AA.VV., *Questioni Canoniche*, Miscellanea in onore del prof. P. E. Gómez (Studia Universitatis S. Thomae in Urbe, vol. 22), Milano 1984, 258-266; necnon in lingua germanica *Der positive Willensakt als Ursache der Ehenichtigkeit nach Can. 1101, §2 des neuen Kodex*, in *Revue de Droit Canonique* 34 (1984) 128-139. In hoc et in sequenti paragrapho principaliter eosdem articulos sequor, et proinde ad eos remitto pro ulterioribus explicationibus et citationibus.

Primus gradus est error — ut ita dicam — «pacificus», qui in intellectu manet quin efficientiam inducat in hominis agendi modum. Patet, exinde, curnam huiusmodi error consensum non vitiet.

Secundus gradus habetur quando error non solummodo in sphaera intellectus existit sed aliquo modo habitum voluntatis deformat. Hic error variis designatur modis: intentio habitualis, voluntas habitualis, inclinatio voluntatis, dispositio voluntatis, intentio generica, voluntas generica, error pervicax, error radicans, error tenax, etc. Agitur de contrahentibus qui nedum circa aliquam proprietatem essentialem matrimonii errant, sed etiam concrete aliquid adversus eandem proprietatem agunt, v. gr. in rogatione ad populum legi divortii introducendae vel retinendae suffragantur, talem legem propugnant vel defendunt, proprietates essentielles matrimonii publice deridunt, etc. Agitur, proinde, non solummodo de errore (iudicio falso) sed de actibus concretis, voluntate determinatis, de habitu voluntatis contra aliquam proprietatem essentialem qua talem, de aliquo statu rebellionis volitivae contra hanc proprietatem essentialem.

Non obstante quod agitur de habitu voluntatis (de aversione quae in voluntate sistit), quae actibus concretis exprimitur, talis error non sufficit ad matrimonium efficiendum nullum, quia — uti docet constans iurisprudentia rotalis — respicit tantum matrimonium in genere, non afficit autem proprium matrimonium quod contrahitur seu proprium concretum consensum matrimonialem, non determinat eius obiectum.

Ad obiectionem quod qui aliquam proprietatem essentialem matrimonii qua talem oppugnat eo ipso eandem e proprio consensu coniugali excludit, iuris-

prudencia rotalis recte respondet agi de duabus rebus diversis, uti ceterum patet ex supradictis. Immo, iuxta eandem iurisprudentiam, qui oppugnat v. gr. matrimonii indissolubilitatem qua talem, potest in proprio casu concreto etiam *positive et expresse* matrimonium indissolubile velle, v. gr. ob magnum erga compartem amorem vel ob respectum erga eius fidem. Plerumque tamen *passive* se habet, ad proprium matrimonium quod attinet, quia, ob genuinum erga compartem amorem, eidem nequidem in mentem venit possibilitas dissolutionis proprii matrimonii, vel quia ipse persuasum est se semper ius divortiandi habere, vel simpliciter quia non cogitat de quaestione relate ad proprium matrimonium.

c. Error de quo hucusque sermo erat (seu in hisce duobus gradibus) — etsi in se non continet exclusionem alicuius elementi essentialis nec determinat obiectum consensus, seu qua talis consensum non vitiat — potest tamen causam constituere exclusionis vel positivae determinationis obiecti consensus, at non solus, sed tantummodo concurrente aliquo alio elemento, id est aliqua ratione vel saltem occasione quae ad applicationem erroris proprio concreto matrimonio contrahendo inducat.

Iurisprudencia rotalis varias indicat huiusmodi rationes vel occasiones, quae v. gr. esse possunt: discidia ante nuptias inter sponso exorta, dubia circa felicem matrimonii exitum, praemonitiones ex parte aliorum de non contrahendo matrimonio cum comparte, exempla divortii vel infelicis matrimonii in propria familia habita, etc.

Altera ex parte, iurisprudencia rotalis animadvertit cum errore concurrere etiam posse circumstantias quae impediunt — etsi non absolute — applicationem erroris ad proprium matrimonium contrahendum.

Ad rem, eadem iurisprudencia saepissime hoc enuntiat principium: «*quo tenacior est error, quo magis excitat voluntatem contrahentis, eo facilius est gressus ad positivum voluntatis actum*» (quo proprietas essentialis excluditur vel eo in sensu obiectum consensus determinatur), id est eo minor requiritur ratio ad applicandum errorem proprio consensui¹⁴.

Manifestum est nihil absque causa haberi, quam ob rem indicatio causae delimitationis obiecti consensus magni est momenti. At, altera ex parte — bene notandum est — affirmando existentiam causae non eo ipso affirmatur existentia eius effectus. Exstare enim potest plena et per se sufficiens causa quae tamen, aliquas ob rationes, in casu concreto effectum non producit. Recte, proinde, Rota Romana — uti ex eius iurisprudencia patet —, in causis ob exclusum aliquod elementum essenziale matrimonii, examini subicit etiam alias probationes, immo omnia argumenta quae tum pro tum contra positivam delimitationem obiecti consensus exstant.

Re quidem vera in praedictis causis non agitur principaliter de maiore vel minore gradu erroris sed de eius applicatione vel minus ad matrimonium de facto contrahendum.

¹⁴ Aliud principium saepissime memoratum in iurisprudencia rotali — scilicet «*quo tenacior est error eo debilius est praesumptio de voluntate generali matrimonium contrahendi sicut a Domino institutum est vel sicut ceteri homines contrahere solent*» — etsi verum, non mihi videtur momentum practicum habere. Pro iudice, enim, praesumptio de matrimonii validitate plenam vim habet donec ipse certitudinem moralem consequatur de actu positivo voluntatis quo aliquod elementum essenziale ex consensu matrimoniali reicitur.

Circa expressionem «*sicut a Domino institutum est*», cf. U. NAVARRETE, *De sensu...* (cf. nt. 9), 483-485.

6. *Potestne error continere in se respondentem determinationem obiecti consensus?*

a. In iurisprudencia rotali non deficiunt locutiones quibus iudices rotales asserere videntur possibilitatem *tertii* gradus erroris, seu erroris ita fortis (ita pervicacis) ut iam in se huiusmodi error contineret positivam alicuius elementi essentialis exclusionem. Ageretur de personis ita profunde errore circa aliquam proprietatem essentialem matrimonii deformatis, ut ipsae — quodcumque contrahunt matrimonium — aliud vinculum velle non possent nisi id quod eorum errori responderet. Probato exinde huiusmodi errore sensum non haberet indagatio circa emissum, vel minus, ab iisdem personis actum positivum voluntatis quo obiectum consensus in suis elementis essentialibus limitatur.

Ita, v. gr., in una coram Felici diei 24 martii 1953, quam citant quoque aliquae decisiones rotales posteriores, legitur: «*Attamen si huiusmodi sententiae veluti in naturam verterint, adeo ut aliter sentire vel operari pars contrahens haud quaquam credi possit, neque occurrat peculiaris ratio, ob quam contrahens ab veluti ingentis sentiis abscedere impellatur: pro actu positivo voluntatis facile concludimus*» (n. 2b). Verbis citatis stando, in casu erroris qui «veluti in naturam verterit», matrimonium considerari non posset nisi nullum. In hac citatione, enim, specifica requiritur ratio recedendi ab errore ad hoc ut matrimonium sit validum, non verum aliqua specifica ratio applicandi errorem proprio matrimonio ut hoc sit nullum. Ponitur, scilicet, quaestio de causa recedenti ab errore, non vero de causa eundem applicandi proprio matrimonio.

Eodem in sensu habetur sententia coram Filipiak

diei 23 martii 1956: «*Item talis voluntas [illa nempe quae unice “vim habet efficiendi irritum matrimonium”], saltem implicita, invenitur in eo qui ita persuasum sibi habet — doctrina catholica quam didicit non obstante — de facultate propria divortiandi, ut ab hac persuasione, quae veluti eius altera natura effecta est, omnino discedere nequeat, neve adsit ratio cur ab eadem, in matrimonii celebratione, recedere debeat*» (n. 2). Haec citatio, immo, adhuc fortior apparet, quatenus in ea insuper de voluntate «saltem implicita» sermo est, quae ex comuni doctrina et iurisprudencia rotali sufficit ad matrimonium reddendum nullum, quod ceterum etiam in eadem sententia coram Fili-piak affirmatur.

In una, dein, coram Anné diei 27 octobris 1964 legitur: «*Hodie, alias ac temporibus elapsis, de facto in quibusdam nupturientibus hic error haecque voluntas adest, ita ut etiam error, de quo in canone 1084 [cui respondet in novo Codice c. 1099], propter mutatas vitae et mentium conditiones, non amplius ipso facto generalem tantummodo intensionem indissolubilitati matrimonii contrariam contineat sed nonnumquam veram exclusionem comprehendere possit*» (n. 4). Loquitur, proinde, hic de errore qui «comprehendere» potest veram exclusionem.

Alibi sermo est de erroneis sententiis, quae veluti «*incarnatae*» sunt in persona, seu quae «*sicut oleum effusum, ita totam personam imbibant ut contrahentis conscientia erronea evadat, ac agens persona nonnisi ex istius conscientiae erroneae dictamine agat*»¹⁵.

Aliquae locutiones exinde — saltem separatim consideratae — affirmare videntur dari posse errorem

¹⁵ Cf. A. STANKIEWICZ, *De errore...* (cf. nt. 2), 467.

qui habitualiter ita deformaret personalitatem contrahentis ut in hac deformatione perspicui deberet positiva exclusio elementi essentialis matrimonii, quodcumque matrimonium huiusmodi persona contrahat.

b. Anno 1980¹⁶ difficultatem movi circa possibilitatem huiusmodi depravationis voluntatis, errore inductae, ut eadem sola positivam constituat proprietatis essentialis exclusionem quando concretum contrahitur matrimonium. Consensus matrimonialis enim — dicebam — specificus est actus positivus voluntatis qui in obiectum concretum fertur, id est in matrimonium (quod non datur absque proprietatibus essentialibus). Quapropter, si huiusmodi actus positivus voluntatis emissus est et eius obiectum eodem modo, seu conscie et positive, non ita est determinatum ut de facto non sit matrimonium, non videtur quomodo affirmare quis possit contrahentem exclusisse aliquod elementum essenziale seu noluisse verum matrimonium. In aliis contractibus, et in communiter contingentibus, deficiens positiva determinatio nullum habet momentum, quod omnino logicum dignosci debet.

Tunc — considerato contextu integrarum sententiarum in quibus supra citatae locutiones inveniuntur — in dubium quoque vocavi relatos textus iurisprudentiae rotalis reapse affirmare voluisse talem gradum depravatae, ob errorem, personalitatis ut non amplius quaerendum sit de specifica determinatione concreti consensus¹⁷.

¹⁶ Cf. Z. GROCHOLEWSKI, *Relatio...* (cf. nt. 13).

¹⁷ Praeterea, momentum practicum quaestionis deminuens, animadverti quod de existentia huiusmodi deformationis solummodo tunc concludere quis posset, quando iam sufficientia argumenta praesto essent pro exclusionem peracta actu positivo voluntatis. Qui enim tam profunde contrarius esset alicui proprietati

Non habui possibilitatem accuratius peragendi examen posterioris ad rem iurisprudentiae. Attamen A. Stankiewicz — diligens pervestigator et eodem tempore operosus artifex iurisprudentiae rotalis — prae oculis habitis supra citatis et aliis similibus textibus, in suo recenti studio, certiores nos reddit: a) in casu erroris pervicacis, quaecumque sit eius gravitas, iuxta comunem et constantem iurisprudentiam rotalem omnino necessariam esse probationem «tum pervicaciae ipsius erroris cum etiam occasionis gressus eiusdem erroris in voluntatem» proprium respicientem matrimonium¹⁸; b) acceptari non posse conatus tribuendi ipsi errori effectus huiusmodi perturbationis personalitatis, ut in hac, quodcumque matrimonium contrahatur, iam implicite exclusio perspicienda sit¹⁹.

Censeo rem aliter se habere non posse. Quaestio fundamentalis, enim, hic non est — venia sit iterationi — de maiore vel minore gravitate erroris vel habitus voluntatis, sed de eius applicatione vel minus proprio specifico matrimonio²⁰.

7. *Error circa dignitatem sacramentalem matrimonii*

Ultima paragraphus meae brevis relationis errorem respicit circa matrimonii dignitatem sacramentalem.

essentia matrimonii «ut aliter non agat quam mente valuet» difficulter non exprimeret hanc suam oppositionem relate ad proprium matrimonium contrahendum. Si id non fecit, dubitare licet de tam profunda voluntatis deformatione, pro qua concludi numquam potest, nisi habeantur argumenta valida et concreta.

¹⁸ Cf. A. STANKIEWICZ, *De errore...* (cf. nt. 2), 479.

¹⁹ *Ibidem*, 480.

²⁰ Cf. etiam U. NAVARRETE, *De sensu...* (cf. nt. 9), 485-486.

Mihi videtur me inter primos vel primum fuisse, qui, vigente Codice Pio-Benedictino, considerabat exclusionem dignitatis sacramentalis matrimonii uti caput nullitatis autonomum, et proinde me opposui alii sed constanti modo rem perpendendi a iurisprudentia rotali et ab auctoribus²¹.

Nunc huiusmodi caput nullitatis matrimonii communiter admittitur.

Immo, haud raro in variis conventibus vel in aliquo symposio mentes valde propensas animadverti ad hoc nullitatis caput, quod — uti aliqui censent — ampliorem invenire deberet applicationem in hac nostra societate, saeculari forma induta, errante in materia, praesertim si de personis agatur quae non amplius credunt, quae exiguam receperunt instructionem religiosam, quae indolem sacram matrimonii respuunt, quae ob rationes potius sociales quam religiosas matrimonium coram Ecclesia contrahunt.

Has animorum propensiones prae oculis habens, duas velim animadversiones facere:

a. Dum, relate ad unitatem vel indissolubilitatem matrimonii, intellegi potest, praesertim verificatis certis circumstantiis, gressus ab errore ad eius applicationem proprio matrimonio contrahendo et quidem per actum positivum voluntatis, valde difficile apparet, seu *parum probabile, ut error circa matrimonii dignitatem sacramentalem ad veram perducatur sacramentalitatis exclusionem vel ad determinationem voluntatis hoc in sensu.*

²¹ Cf. Z. GROCHOLEWSKI, *Crisis...* (cf. nt. 10), 283-295. Displicet mihi me, multis detentus muneribus, in annis posterioribus studium complere non potuisse ibidem in p. 284 annuntiatum, quod tunc in statu iam provecto inveniebatur.

Unitas et indissolubilitas, enim, vel eorum recusatio — tum pro iis qui credunt tum pro iis qui in materia errant — consecraria practica magni momenti secumferunt, et proinde prodeunt uti aliquod quod gravia exigit facienda vel omittenda (agitur de possibilitate colendi relationem amatoriam cum alia persona vel minus, de possibilitate proprium matrimonium dissolvendi aut dissolvendum curandi et aliud contrahendi vel minus). Quapropter faciliter mente concipitur errorem circa hanc rem ad huiusmodi determinationem obiecti consensus perducere posse ut praedictae proprietates ex eo excludantur.

Aliter res se habet cum de dignitate sacramentali agitur. Qui in matrimonii sacramentalitatem credit, difficulter rationes habere potest ad privandum proprium matrimonium huiusmodi divitatione, ad sese privandum gratia et auxilio divino. Pro iis autem qui non credunt, agitur de aliqua re inexistenti quae per se nullam secum fert exigentiam concretam, nullam molestiam. Non intellegitur, proinde, curnam quis serio excludere deberet aliquam rem quam inexistentem reputat, quae res insuper pro eo nullum habet momentum practicum.

Quas ob rationes mihi valde difficile videtur — quod ceterum iam notavi in meo praecedenti studio circa hanc rem²² — ut locum habeat exclusio dignitatis sacramentalis matrimonii vel huiusmodi voluntatis determinatio quae positivam contineat reiectionem sacramentalitatis ex obiecto consensus, etsi non excludo hanc possibilitatem in aliquo casu vere particulari.

b. Uti statuerunt sive Bulla unionis Armenorum, in Concilio Florentino die 22 novembris 1439

²² *Ibid.*, 295.

emanata²³, sive Concilium Tridentinum, in primo decreto septimae sessionis die 3 martii 1547 latum²⁴, pro validitate sacramentorum requiritur in persona ministri conferentis *intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia*.

Aliqui — ad facilius admittendam exclusionem dignitatis sacramentalis — insinuare videntur nupturientes (quantenus ministri sacramenti) positive (in sensu conscie et directe) saltem praedictam intentionem habere debere, quod ceterum pro omnibus aliis sacramentis requiritur.

Aliter, tamen, ac in omnibus aliis sacramentis, pro quorum validitate vere eiusmodi positiva requiritur voluntas, ministri sacramenti matrimonii seu nupturientes non necessario hanc positivam intentionem habere debent ad hoc ut eorum matrimonium-sacramentum sit validum. Sufficit, ut hanc intentionem non excludant, uti expresse notavit Adhortatio Apostolica *Familiaris consortio*, in n. 68²⁵, quia id idem esset ac exclusio sacramentalitatis.

Adhortatio *Familiaris consortio*, enim, decernit admittendum esse ad celebrationem matrimonii in Ecclesia «etiam [eum] qui non est perfecte dispositus» ad eius fidem quod attinet (alinea 2); admittendos esse sponsores etiam quando «magis sociales quam reapse religiosas causas [eos impellunt], ut celebratio-

²³ «Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit ecclesia. Quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum» (*Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, Bologna 1991, 542).

²⁴ «Si quis dixerit, in ministros, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit ecclesia: a.s.» (*Ibidem*, 685, n. 11).

²⁵ Cf. nt. 1.

nem matrimonii in Ecclesia petant» (alinea 4). Etenim haud «obliviscendum est matrimonium inituros huiusmodi, vi sui baptismi, vere iam alligari Foedere sponsali Christi cum Ecclesia atque ob rectam suam intentionem Dei consilium de matrimonio se accepisse ideoque, saltem implicite, ei assentiri, quod Ecclesia facere intendat, cum matrimonium celebret» (alinea 5). «Si aliae rationes circa admissionem ad celebrationem ecclesiam matrimonii statuuntur, quae gradum fidei nuptias facere volentium respiciant, gravia pericula possunt afferri», inter quas enumeratur etiam «periculum impugnandi vel in dubium vocandi indolem sacramentalem multorum matrimoniorum fratrum a plena communione cum Ecclesia catholica seiunctorum, quod ab ecclesiali discrepat traditione» (alinea 6).

Hinc idem documentum pontificium praescribit quandonam celebratio religiosa matrimonii neganda sit: «Cum ... omni conatu ad irritum redacto, nuptias facturi *aperte et expresse* id quod Ecclesia intendit, cum matrimonium baptizatorum celebratur, *se respuere fatentur*, animarum pastori non licet eos ad celebrationem admittere» (alinea 7, emphasis addita est).

Procul dubio, iuxta citatam Adhortationem necessarium non est ut ministri sacramenti matrimonii, seu nupturientes, conscie positivam habeant intentionem «faciendi quod facit Ecclesia». Sufficit, enim, ut eam non excludant. Quoad omnia alia sacramenta, autem, indubitatum manet quod ministri conscie «intentionem faciendi quod facit Ecclesia» habere debent.

Ratio huius diversitatis in eo invenitur quod — uti explicat *Familiaris consortio* — «prae ceteris sacramentis haec sunt ... matrimonii sacramenti peculiaria

et propria: est videlicet sacramentum rei, quae iam in creationis dispositione inest, est idem foedus coniugale a Creatore institutum “in principio”» (alinea 3). Christus ad dignitatem sacramenti nihil aliud evexit nisi rem in natura iam exstantem. Sacramentalis matrimonii ratio non a voluntate nupturientium, sed a voluntate Christi pendet (similiter uti a voluntate divina et non a voluntate contrahentium indissolubilitas et unitas matrimonii pendet²⁶). Exinde, ad sacramenti matrimonii validatem necessarius quidem non est aliquis gradus fidei, sed verus consensus²⁷.

²⁶ Ad rem cf. O. ROBLEDA, *Causa efficiens matrimonii iuxta Const. «Gaudium et spes» Conc. Vaticani II*, in *Periodica* 55 (1966) 354-361.

²⁷ Hoc in sensu citationes iurisprudentiae rotalis invenies in A. STANKIEWICZ, *De errore...* (cf. nt.2), 490-491.

Commissio Theologica Internationalis — quae quaestionem considerare videtur potius sub ratione fidei ex parte eius qui recipit sacramentum — inter alia casum extremum prospicit eius qui non solummodo non credit sed ne dispositus quidem est credere, ad rem asserens: “Ubi... nullum vestigium fidei qua talis (in sensu vocis «Gläubigkeit», «croyance», = paratum esse ad fidem) et nullum desiderium gratiae et salutis invenitur, dubium facti oritur, utrum, supradicta intentio generalis et vere sacramentalis [faciendi quod facit Christus et Ecclesia] reapse adsit, et matrimonium contractum validum sit an non” (De doctrina catholica sacramenti matrimonii [1977], n. 2.3, in COMMISSIO THEOLOGICA INTERNATIONALIS, *Documenta [1969-1985]*, Città del Vaticano 1988, 218). Ad huiusmodi dubium tamen quod attinet, prae oculis habendus est c. 1060: «Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur».

Mihi autem sensum communem offendere videtur sententia, iuxta quam, ob inseparabilitatem inter contractum et sacramentum in matrimonio inter baptizatos (CIC, c. 1055 §2, CCEO, c. 776 §2), perditio fidei (etiam completa), quae quoque absque culpa haberi potest, personam reddere valeret incapacem contra-

Aliis verbis: si duo baptizati volunt, et valide celebrant, matrimonium quod «iam in creationis dispositione inest», id, ex voluntate Christi, fit sacramentum. Sufficit, exinde, ut ipsi velint positive et conscie verum matrimonium, et non est necessarium — in ordine ad validum matrimonium sacramentale contrahendum — ut positive et conscie velint sacramentalitatem.

Consequenter dicendum est matrimonii dignitatem sacramentalem, quae apparet proprietates essentialis matrimonii inter baptizatos²⁸, eodem modo considerandam esse — respectu voluntatis in ordine ad validitatem matrimonii quod attinet — quam proprietates essentielles cuiuscumque matrimonii (seu unitatem et indissolubilitatem).

✠ ZENON GROCHOLEWSKI

hendi verum matrimonium, perspecto quod — repeto — de instituto agitur per se naturali et practice omnibus destinato. Censeo solutionem quaestionis inveniri potius in debita consideratione: a) indolis specificae sacramenti matrimonii, inter alia sacramenta, nuper in textu notatae; b) dignitatis sacramentalis utpote proprietatis essentialis matrimonii inter baptizatos et consequenter necessitatis applicandi in re principia quae exposui supra (paragraphi 4-7), necnon c) distinctionis inter validitatem et fructuositatem sacramentorum (quae distinctio, ceterum, etiam in eodem numero praedicti documenti Commissionis Theologicae Internationalis facta est).

²⁸ Cf. Z. GROCHOLEWSKI, *Crisis...* (cf. nt. 10).